

In libro *Histoire Genealogique des Tatars*, quædam exempla collationis annorum, Tartaricorum, Arabicorum & Christianorum bene se habent; in aliis exemplis vero manifesti errores reperiuntur, quos tamen hic explicare, nimis longum foret.

De pronuncitaione nominum Tartaricorum, v. gr. regionum, urbium, hominum &c. quæ suprâ protuli, notandum, ea more Gallico pronunciantur, cum ex libris Gallicâ lingua scriptis ea excerpserim. Ita *Genghizcan* à Germanis legendum fere ut *Schengiscan*, quod nomen alii scripserunt *Cingiscan*, *Chingischan*, *Sinchischam* vel *Zingis-Chan*; quæ omnia parum differunt, si differentem pronunciationem, quæ apud diversos populos Europæos usitata est, respiciamus. Sic *Mirza Charoc* germanico modo legendum *Mirsa Scharoc*, *Tachkunt* legendum *Taschkunt* &c.

Suprà, in inquisitione Chronologiæ Tartaricæ, nomina quædam barbara regionum ac urbium occurrunt, quæ non omnibus sunt cognita; quare, ut ea melius intelligantur, sequentes brevissimas annotationes Geographicas addendas judicavi: Maxima regio Asiæ, quam uno vocabulo *Tartariam*, sive duobus, *Tartariam magnam* vocamus, eadem est quæ antiquorum Scythia. Timur-Begi tempore ea pars Tartariæ, quæ à Mari Caspio versus Septentrionem jacebat, vocabatur *Capschac*, quæ continebat regnum *Casan*, *Astracan*, aliaque. Hæc Regio *Capschac* simul cum Russia, & cum aliis Regionibus versus Pontum Euxinum, efficiebant imperium *Touchi*, sive *Tuschi*, ita nominatum à filio natu maximo *Genghizcani*, cujus posteritas has regiones hæreditatis jure obtinuit. Ceterum *Capschac* est pars occidentalis antiquæ Scythiæ intra Imaum. *Gete* Regio, quæ *Timur-Begi* tempore proprios Reges habuit, & ab imperio *Zagatai* versus Septentrionem sita erat, est orientalis pars Scythiæ intra Imaum.

Imperium *Zagatai* jacebat à mari Caspio versus orientem, quod nomen tulit à secundo filio *Genghizcani*, limes ejus versus meridiem erat fluvius Oxus, ab Orientalibus *Gihon* sive *Schihun* vocatus. Constitit hoc imperium ex provinciâ *Marwaralnabra* sive Transoxiana, quæ olim vocata fuit Sogdiana, & ex *Turkestan*, quæ regio olim fuit Sacarum sedes. Harum regionum Rex postea fuit *Ulug Beig*, Timur-Begi sive